

## XI.

## MEMORIA

D. PHILIPPI HENRICI KLEINSCHMIDII.

**P**roh dolor! et nunc irreuocabilis fati cogimur necessitate, vobis, Humanissimi Lectores, indicare funus, et immaturum obitum *Viri Consultissimi et Excellentissimi, Domini PHILIPPI HENRICI KLEINSCHMIDII, iuris in illustri hac Ernestina Academia Professoris ordinarii.* Sic nulli iusso cessare licet; nulli scriptum proferre diem: quando sua quemque mortalium ordine fata manent. Dum respicimus, dum versamus nos, iam vitae finis est. Ex illustri KEILIORVM atque GOEDAEORVM familia, desideratissimus hic collega noster *Viri Amplissimi et Consultissimi, Domini IOH. HENRICI KLEINSCHMIDII, I. V. D. et in Academia Marburgensi Antecessoris celeberrimi,* haud degener filius fuit, diuinitus ad perbreue temporis spatium nobis concessus: vt eum florere, iucundis studiorum fructibus laetari, atque denasci videamus. Accessit, in publicum prodiit, circumspexit omnia, rediit, ac sensim sine sensu, lentoque gradu, nos omnes post se trahit. Cui nasci contigit, restat mori. Nostrum scire nihil est: nulla contra vim mortis doctrina, nulla virtus. Pie defunctus collega noster saluberrimo ipsius Parentis atque tot Virorum Eruditissimorum, per vtriusque Germaniae celebriores scholas ac nobilissima literarum emporia, ductu et consilio, ab ineunte aetate liberaliter optimis artibus imbutus: non, vt hodie, proh dolor! saepius fieri videmus, superficialiam et rabulisticam legum latarum cognitionem, ad omnis generis fraudes impune exercendas, aliisque, si foret occasio, imponendum, velut quodam iniquitatis studio, acquisiuit: sed bene praeparatus, eruditus, Graeca et Latina, hoc tempore, vt antiquissimo, orbis literati vernacu-

nacu.